



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio
Historico-Theologica causarum principalium omnium
irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis
earundem prophanarum Novitatum confutatio**

Alexander <a Sancta Theresia>


Coloniæ Agrippinæ, 1684

Caput V. Zelus indiscretus, seu prætensa Ecclesiæ, quasi in doctrina & moribus deficientis reformatio, est prophanæ novitatis, seu hæreseos causa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35361

a Rom. 2.

pectora dignetur emollire: quod si divini
mini durâ cervicē permaneant rebelles, Apo-
stolicum pertimescant fulmen (a): *lis, qui
ex contentione, & qui non acquiescunt verum
sed credunt iniquitati, ira & indignatio.*



Caput V. Hydræ.

*Zelus indiscretus, seu prætensa Ec-
clesiæ, quasi in doctrina & mori-
bus deficientis, reformatio, est
prophane novitatis, seu
hæreseos, causa.*

Quod dilectus Domini discipulus, de quibusdam sui temporis Ecclesiæ desertoribus scriptum reliquit: *Ex nobis prodierunt: inquit, sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*: id ipsum eodem verbis, nec minus verò, de iis quoque licet pronuntiare, qui nostro sæculo sub Evangelii prætextu, & ab Evangelio, & ab Ecclesia Catholica se separarunt: nam & illi sanè, relicto genuino ac veteri Christianismo, in quo & nati, & rehati erant, à nobis primum exierunt, quod nec ipsimet dubitant coram toto mundo profiteri, quin & rem hanc laudi sibi debere duci, existimant: si enim à transfugis illis

illis quæras, cur divortium fecerint à sua matre Ecclesia? mox suum zelum, sed distortum ac indiscretum, prætendunt; nimirum, se propterea ab Ecclesia antiqua discessisse, quòd in ea doctrina falsa sit, & mores corrupti, quibus reformatis ac restaurandis jactitant se à Deo missos & excitatos. Communis is est omnium Novatorum prætextus, omnes hoc palliò hæreses suas ac scelera moliuntur obtegere, at vanè, ac mendaciter uti hoc *Caput* ostendet. Principio, quòd doctrinam, ad fidem ac mores spectantem, quam antiqua Catholica Ecclesia tenet ac tradit, falsitatis insimulant, error est, ac malitia manifesta: fundamenta enim primatia, quibus doctrina illa innititur, prorsus firma sunt ac infallibilia, quæ nullis eorum machinis everti posse, scimus: sunt quippe ista primum, Scriptura sacra veteris atque novi Testamenti integra, incorrupta, ac nulla sui parte mutilata. Secundum, ejusdem Scripturæ verus, atque genuinus sensus, quem Spiritus sanctus in corde Ecclesiæ, quasi digito suo descriptum, hæten⁹ usq; ad nos conservavit: juxta hæc divina oracula: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationē sæculi (a). Ecclesia Dei à Mat. 28. vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis. (b) Tu es Petrus & super hanc petram edificabo b Tim. 3. Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam (c). Tertium, admirabilis, & plane divinus in doctrina consensus, qui per universum terrarum orbem, quacumque se Chri-*

N

stiana

stiana Religio diffudit, hisce mille sexcentis
 nis, & amplius, duravit. Quartum, infinita
 maxima miracula, quibus fides nostra, tam
 sigillò quoddam, per totum mundum obfirmata
 & confirmata. Quintum, sanctissimus ille,
 pretiosissimus sanguis tot millium Martyrum
 Sextum, testimonia veterum conciliorum, antiquorum
 Patrum, atque omnium Ecclesiarum per Orbem
 Hisce contra Novatores solidissimis fundam
 tis insistimus, hisce scutis, omnia sacratissima
 nostræ Religionis capita adversus prophan
 rum Novatorum latratum propugnamus. Igitur
 quoad doctrinam attinet, falli aut errare non
 possumus, imò certi sumus, res nostras in tuto
 esse. Adeò ut cum Richardo de S. Victore anti
 quo Doctore dicere audeamus: *Domine, si errum
 est, (quod credimus) à te decepti sumus: Nam ipsi
 in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt
 talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Quan
 obrem quod desertores isti de Religionis
 doctrinæ vitio nobis objiciunt, hæreticum
 commentum est, quod hætenus legitimis tes
 timoniis à mendaci calumnia non potuerunt
 liberare. Quod verò ad nos spectat, nihil novi
 proferimus, sed ex Apost. præcepto, vetus illud
1. Tim. 6. depositum (a), quod à Majoribus nostris hære
 ditario jure traditum est, conservamus, atque in
 una, eaque sanctissima Religione persistimus,
 quæ non à nobis primò, uti adversariorum No
 vitates, vel à Majoribus nostris inventa, sed ex
 Apostolicis temporibus, perpetuæ successionis
 inter:

interventu, tamquā hæreditas quædam ad nos devoluta est, atq; supra relatis inconcussis innixa est fundamentis: quæ tametsi sathanas & insidiis occultis, & vi manifestâ frequenter convellere tentarit, numquam tamen movere loco, aut evertere potuit, neque dubium est, quin ea deinceps contra rabiem ejus, atq; furores omnes immota penitus consistent: vera namq; est Divi & Magni Augustini sententia de omni-
a Lib. 1. de symb. c. 16.
moda Ecclesiæ indefectibilitate: *Ipsa, ait, Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua: Porta inferorum non vincent eam.* Prorsus ergo sunt evanida commēta quæ de falsitate doctrinæ nostræ, ad eluendam Apostasiæ suæ infamiam, in medium adferunt Novatores.

Si verò de corruptis Catholicorum, tum laicorum, tum Ecclesiasticorum, moribus, deque variis, qui in Ecclesia reperiuntur, abusib⁹, habendus sit sermo, veterem eam comperimus semper fuisse, & esse, prophanorum Novatorum consuetudinem, fidem per fidelium vitam, Ecclesiamq; per Ecclesiasticorum abusus impetere: semper, inquam Novatores zelum quemdam præ se ferunt, quò se ostentant fervidos morum magistros, Censores, ac Reformatores; persuadent nimirum sibi homines prophani ac scelerati, universam morū ac vir-

rutum molem ruituram, nisi ipsi humeros sub-
 jiciant. Et quemadmodum muscæ, ulcerosæ in-
 bentius quàm mundæ & nitidæ cuti insident; &
 vultures non ad sana corpora, sed cadavera ad-
 volant: sic homines apostatici, relictis quæ in
 tot Ecclesiasticorū hominū millibus nitidissi-
 mè conspiciuntur, eximiis virtutibus, pauciora
 vitia ac abusus corradere ac sugillari voluptati
 habent. Hæc illis uberrimam præbent etiam
 bonos calumniandi materiam: adeò ut nihil ni-
 si atram bilem evomant, ac velut agitatum flo-
 ctibus mare, tam suas, quàm alienas sordes e-
 jiciant. Quàm varias, variis temporibus, quàm
 horrendas, quàm portentosas in visibile Ecclesiæ
 Caput, Christi in terris Vicarium, Petri suc-
 cessorem, summum Romanum Pontificem
 congegesserunt calumnias? quàm detestabiles in
 externum Dei cultum, in usum Indulgentiarū,
 in Deiparæ, cæterorumque Sanctorum invo-
 cationem, ac sacrarum Imaginum venerationē,
 evomuerunt blasphemias? deplorant Lutherani
 Augustani, conciones Catholicorum consumi
 in commendationibus Confraternitatum Ro-
 sarii, &c. veris neglectis virtutibus. Nunquid
 supra Æthiopem denigrarunt, homines carni
 ventriq; nati, Cleri cœlibatum adeò necessariū
 ministris Christi, agni sponsi Virginū; piorum-
 que jejunia & abstinentias? Numquid & Mo-
 nachismū, partem Ecclesiæ nobiliore ad huma-
 na inventa ac superstitiones ablegarunt? Quæ-
 nam non monstra abusuū coacervarunt in Ca-
 tholi-

tholicos universos, circa fidem Purgatorii, Sacramenti Eucharistiæ, confessionis auricularis, contritionis pœnitentium, Reliquiarum cultum, Religiosorum mendicisimum, verbô, contra omne, quod ad Dei cultum, & animarû salutem, Sancta Romano-Catholica credit, instituit, ac frequentat Ecclesia. At numquid ad hanc impostum ac distortæ zeloſorum classem reductivè pertinent illi, qui Superiorum verici auctoritatem ac potentiam, piissimæ Catholicæ religionis exercitia non condemnant apertè, imò specie tenus commendant, seu remissè laudant, plurimis interim adversus ea studiosè, speciosèque conquisitis, ac confectis abusibus? ambiget æquus rerum arbiter? est enim ea familiaris Novatorum cautela simulare ac dissimulare, priusquam sibi conciliarint aut potentium favorem, aut vulgi adversus potentes rebellionem; interim, detrahit, qui laudat remissè.

Quorsum verò omnes hæ imposturæ, falsus simulatusque zelus? vis edicam, veritatem comprobante rei eventu? ut vitia ac hæreses suas hoc obtegant protegantque mantelô: ecquæ illa vitia? ambitio, avaritia, invidia: hæc appingunt Catholicis, præsertim Religiosis ac Clericis, ut liberi⁹ honestiusq; in iis volutentur hæretici ac schismatici. Non mihi habebunt fidem homines increduli: at loqueretur, Magne Augustine (a), & tibi degeneres tui credunt filii. Hæretici nihil habentes, inquit, quod in can-

a Ep. 137.
c. 166.

fa sua divisionis defendant : non nisi hominum crimina colligere adsecant , & ea ipsa plurafissimè jactant : ut quia ipsam divina Scriptura veritatem , quàm ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur , criminari & obscurare non possint ; homines per quos predicatur in odium adducunt , de quibus & fingere quicquid in mentem venerit possunt. Est igitur is deridiculus ac malè sanus Novatorum genius , ut se arbitrentur aliorum sordibus suas posse eluere criminum maculas , ac schisma suum ac hæresim justificare , si sese zelosos coram vulgo ostendant morum magistros , Censores , ac Reformatores.

Innumera se hic offerunt malè zelosorum Novatorum exempla , ex quibus non nulla in dictorum confirmationem adducam in medium. Zelum fraudulentum Hæresiarachæ Montani depinxit graphicè Apollinaris Hieropolitanus Episcopus , apud Eusebium (a) , asserentem eum , veteratorio spiritu correptum , conjecturis ac rationibus probabilibus nixum , peccata coram reddarguisse , ut putaretur etiam corrector vitiorum. Quæ flagitia non ad molitæ est tegere factio Eusebiana , Arrii soboles , prætenso zelo Ecclesiasticam disciplinam restaurandi , corruptosque mores emendandi ? Eusebiani , inquit Baronius (b) , Usque dum vixit Constantinus , si quod bellum Catholicis intulerunt , nequaquam ut Arriani ; at potius ut bonorum morum vindices præstiterunt. Sed & Ecclesiastica disciplina custodes , cum Athanasium damnaverunt,

a Euseb.

lib. 5, c. 14.

b Ann.

936, n. 37.

runt, se exhibuerunt. Parumne zelô Ecclesiastica disciplina æstuabat Pelagius, cujus, inter articulos, à Diospolitana Synodo damnatos, teste S. Aug. (a) hic est sextus: *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visifuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* Eodem zelo, hypocrysi natô, imitatus magistrum, Julianus, affligente populum annonæ caritate, omnia quæ habebat erogabat in egenorum sublevamen, ut memorat Pennadius (b). Fucato hoc zelo obcæcati Novatores, nullam in Ecclesia vident veram virtutem, nullam pietatem, nullum castum timorem Domini, quibus tamen suos sequaces gloriantur ornatos. Hoc S. adnotavit Gregorius (c): *Nullum, ait, existimant timorem Domini habere, nisi eum, quem potuerint ad suæ confessionis stultitiam trahere.* Et infra. *Cum verò mala hæretici contra bonos non inveniunt, fingunt, quæ redarguant, ut iusti esse videantur.* Et alibi. *Solent, inquit, hæretici de iustitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atq; opera sua ostentationis inflatione jactare, nosque iniquos, ut diximus, aut esse, aut fuisse, criminari.*

Nunc recentiora videamus hæretici zeli specimina. De Witcleffistis hæc tradit noster Waldensis. (d) „Cavete item Christi fideles, maximè simplices à fermento Phariseorum, Witcleffistarum allicientiu vos per sanctas, prædicationes, & exhortationes contra vitia. „ Hoc enim omnes hæretici faciunt, dū primò,

a De pec.
Orig. lib. 2
cap. 11. &
epist. 106.

b Catalog.
viror. illust.
c. 44.

c In c. 15.
Iob. c. 15.

d Tom. 1:
doctr. T.
præmissa.
ua.

„doctrinas suas pessimas seminare conantur
 „Nullus enim veneficiis sine dulci cō dimen-
 „intoxicat. Audiuntur plerique dicere : ô
 „quomodo hæreticus est ? sanctè prædica-
 „Vitia impugnat, Scripturas sanctas interfen-
 „Christum annuntiat. Sed Chrysostomus
 „dicit de laude Pauli (a) : Non varias atque
 „versas mihi opponas hæreses : omnes siquid-
 „prædicant Christum, & si non omnes san-
 „prædicant atque legitimè : illum enim omnes
 „prædicant, qui in Palestina & natus & passus
 „qui Pontio Pilato adjudicatus crucifixus est. He-
 „ille AUCTOR. Verè enim si quis hæreticus
 „non prædicaret Christum, non posset sub nomi-
 „Christi decipere Christianos : Nisi etiam præ-
 „dicaret scripturas : diceretur, hic Paganus est,
 „quid huic auscultamus fideles ? sed Christum
 „mulant, scripturas sanctas assumunt, contra
 „vitia invehuntur, & sub hoc colore, contra
 „de Eucharistiæ, Sacramentorum, & sancto-
 „Ecclesiæ, eò artificiosius omne quod volumus
 „efficiunt. Hæc Waldensis, qui alio loco
 „memorabilem ad præsens profert sententi-
 „(b) ô si sciretis (inquiunt) de quàm impia vita
 „omnis penè multitudo Wicleffistarum
 „rumpit : sed sicut jumentum de minori loco
 „transiliens se totum projicit in aby-
 „ssum, ita hæretici Wicleffistæ dum
 „ciunt sibi conscientiam criminis, saltant
 „in voraginem hæresis. Magna fraus de-
 „monis, ut de defectu morum intra fidem,

a Tom. 3.

Hem. 4.

b Tom. 1.

destr. 8.

sub specie plenitudinis in immensum lacum,,
perfidiae dilabantur., Iste est fructus zeli No-
vatorum, fidei everfio, ac hæresis perfidia-
que inductio. Unde & S. Augustinus zelo-
tes istos percunctatur: *Quare cum seiviora,*
qua fingitis, fugitis, ipsum sacrilegium schisma-
tis (quod est gravius omnibus) commisisistis?

Unde Hæreticorum novissimorum Patri-
archa Lutherus excitatus, totius Ecclesiæ ma-
chinatus est excidium? à zelo, sed non se-
cundum scientiam & pietatem, abusus abo-
lendi, lapsamque disciplinam restituendi: Te-
stis est Floremundus Remundus: (a) *Scriptis, a De ortu.*
inquit, *ad Imperatorem, Reges, & Principes hæres. lib.*
non Germania tantum, sed universæ Christianæ cap. 10,
Reipublicæ, litteris, variè eorum animos versa-
bat, his adulando (ut in litteris ad Sabaudia
Ducem apparet) illis tanquam Propheta & Dei
Legatus, divinam iram interminando. Pronis
auribus accipiebatur, quod nihil nisi reforma-
tionem spectare aut poscere se dicebat, protestans
cetera integra & illæsa sibi fore: ut qui tum Mo-
nasterio adhuc se contineret, ac divinum Offi-
cium frequenter celebraret. Atque, ô utinam!
ille hisse limitibus continuisset, non autem do-
rum Dei (quam sordibus ministrorum negli-
gentia forte infectâ, purgandam susceperat) tan-
quam alter Herostratus succendisset. De Simu-
lato hoc Lutheri reformationis studio testi-
monium quodam loco dedit Religiosus ille
ac Catholicus Princeps, Georgius Saxoniz

N s

Dux

a In pro-
lag. novæ
Testam.
versu ab
Emsero.

Dux: (a) *Quamvis*, inquit, *Lutherus* rem
non sub pretextu cujusdam reformationis
emendationis abusum, qui apud Ecclesiasticos
seculares radices egerant, coeperat: Verbum
in & factis mox indicavit, sese non intendere
rem emendare, sed prorsus evertere. Quem
modum gloriatur eò se rem perducturum
ut intra paucos annos nullum templum, nullum
Collegium, Sacellum, aut Monasterium: nullum
Presbyter, Monachus, aut Monialis: nullum
rem Princeps aut Episcopus sub cœlo esse debeat.
Ecce, Catholici, sub specioso reformationis
abusu prætextu, totius Catholicismi abscon-
ditum excidium præconceptum! Erasmus
ille magnus Ecclesiæ Momus ac Cenfor, quo-
ties zelô indiscretô correptus, depravatos Ca-
tholicorum, utriusque Ordinis, mores deple-
rare visus est, dum interim nihil nisi ova pone-
ret, ex quibus Lutherus hæreses excludebat,
ut tum proverbio ferebatur: ad Archi-Epi-
scopum Moguntinum scribens, ac Lutheri
factionem excusans: *Paulatim*, inquit, *eva-
nescebat vigor Evangelica doctrina*, & futurum
erat, ut rebus semper in deterius prolabantibus,
tandem prorsus extingueretur illa scintilla Chri-
stianæ pietatis, ut non redaccendi poterat eximta
charitas. Ad Ceremonias plusquam Judaicas
summa Religionis vergebat: Hæc suspirant, ac
deplorant boni viri. Quis hic non zelum E-
lianum loqui arbitretur? At lachrymæ sunt
Crocodili, deplorat Momus, non licere lupo,
Luthe-

Luthero, impunè grassari, ac oves Christi devorare.

Joannes Calvinus quanto fervore ac vehementiâ in corruptos Ecclesiasticorum ac sæcularium mores frequenter visus est invehi? nihil nisi reformationem spirare videbatur: collapsæ Ecclesiasticæ disciplinæ originem repetit à Gregorii Papæ temporibus. (a) *Omnia illic, ait, à Christi institutione adeò dissimilia sunt, imò aliena, adeò ab antiquis Ecclesiæ institutis, ac moribus degenerarunt, adeò cum natura, & ratione pugnant, ut nulla major Christo fieri injuria possit, quam dum ejus nomen ad defensionem tam inordinati regiminis obtendunt.* Infra. *Ubi illa lux mundi quam Christus requirit? Ubi sal terra? ubi illa sanctitas, quæ velut perpetua censura esse possit. O hypocritam zelo amaro succensum! Descendit deinceps ad deplorandum luxum, mollietiem, fraudem, superbiam, lævitiem, ac dissolutam in omnibus vitæ partibus licentiam. De eodem Calvini hæretico zelo ita scribit Floremundus Remundus. Si quando in Catholicos, ac præsertim Ecclesiasticorum Ordinem linguæ frena laxaret (quod ferè semper fiebat) Deus bone, quomodo pusilli illius corpusculi jugulum sive guttur inflammabat, quomodo vocem efferebat, & quam maximum poterat exclamabat! Sape in has voces erumpens: Vobis ego dixi, & vos scitis, Prophetam me esse. O hypocritam gloriosum! ô linguam Pseudo-prophetæ à gehenna inflammata!*

a Lib. 4.
Instit. cap.
5. n. 11. &
seqq.

Ana-

Anabaptistæ, hæretici fraudulentissimi
solò zelo reformationis Papatus ac Lutheri
nismi, hæresim suam palliarunt, nec ul-
morum corruptelas deplorandi, faciebant
nem. De Muncero ac Mennone, eorum pro-
cipuis Apostolis, hæc tradit Floremundus
lib. 2. cap. 1. (a) Muncerus postquam se tamquam
Apostolum mundo ostendisset, tam in sermo-
bus quàm scriptis præ se tulit: Divinitus sibi in-
spiratum, ut tam Pontificem quàm Lutherum
oppugnaret, quod utriusque doctrina esset vitio-
sa & impura. Pontificem nimium duris legi-
bus atque vinculis alligasse hominum mentes,
Lutherum solvisse quidem ea vincula, sed
contrariam partem peccare, nimiumque in-
gere: suam verò doctrinam medium tenere. Im-
plius tribuendum esse Pontificiis Constitutioni-
bus, quàm Lutheri statutis. Interea extrema
quadam sanctitatis specie, vitia detestantur, &
iam quæ levia videntur, ac docebat corpora
castigandum, ac jejuniis macerandum: quæ
Luthero nimia sagina distenta sunt. Doctrina
Lutheri, inquit, Anabaptistarum Apostolorum
Menno, carnalis & dissoluta, populum carna-
lem & dissolutum in tantam deduxit impietatem
ut inter Turcas & Tartaros major reperiri
possit. Muncerus porro non solum sermonibus
suis, sed habitu etiam ac totâ vitâ mirabilem
simplicitatem præ se ferebat, eaque ratione mag-
nam sibi apud vulgus auctoritatem comparave-
rat. Hæc Floremundus. Sic Hæretici fu-

rioso zelô sese mutuo persequuntur, sic & in Christi Ecclesia, & in Sathanæ Synagogis reperit, quod reformet, indomita novas sectas cudendi libido, ubique zelum prætexens errori hæretico.

Cùm jam viderimus igitur corruptos Catholicorû mores ansam præbere Novatoribus Ecclesiam deferendi, ac novam foris Religionem, superstitionem dixerim, cudendi; quid respondebimus? Nos ipsos fortè peccatores negabimus, mentientes? haud quaquam. Scriptura enim ait: (a) *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et alibi: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Fatemur proinde haud inviti, non deesse in Ecclesia materiam zeli ac reprehensionis, quod multi Ecclesiasticorum ac Laicorum vitam ducant Christianæ disciplinæ deformem, agnoscunt piæ in Ecclesia mentes, & uberrimis lachrymis deplorant, multoq; gravius inde offenduntur, quàm Novatorum quisquam. Optamus quidem abusus omnes, omniaque scandala, quæ Ecclesiam deturpant, penitus sublata: verum optare id possumus, precibusque à Deo petere, præstare autem non possumus. Ea namque fuit semper, erit quoque deinceps militantis Ecclesiæ conditio, ut in ea mali bonis permixti vivant, ut in agro Dominico lolium unà cum tritico succrescat, donec messis, dies, inquam Domini

ma

a 1. Ioh. 1.

b Prov. 2.

magnus, advenerit. Tum fiet, quod ar-
 ribus votis, omnes pii in hoc mundo ex-
 ptant: is enim dies omnia scandala tollens
 regno Dei, interea necessaria nobis est patri-
 tia, & quæ corrigere non possumus, divi-
 pietati sunt commendanda. Caterum, &
 culpam nostram hunc in modum agnosce-
 mus, perperam tamen inde Novatores col-
 gunt, causam eam esse sufficientem, Ecclesiam
 perturbandi, ac deferendi: aliter hisce malis
 est obviandum: malè medetur, qui infirmum
 etiam si de salute desperet, jugulat. Mon-
 dus ac corripendus est Clerus delinquens, non
 tollendus: Laborandum est pro Monachorum
 reformatione, sed non Monachorum
 Ordines, in quibus plurimi piissimam ac Chri-
 stiana professione dignam vitam transigunt
 extirpandi. Corrigendi sunt abusus qui in
 sacris Officiis, Cæremoniis, Indulgentiarum
 usu, Sanctorum cultu, &c. reperiuntur, non
 verò optimos usus cum abusibus conven-
 abolere. Iniquum profectò est, munus
 quodcumque obgerentis vitia traducere &
 velle abrogare: quasi verò Divina veritas
 Religio à bonis vel malis pendeat fidelium
 moribus! quorum opera si cum Christiana
 disciplina non conveniant, fides nihilominus
 ac Religio, suâ ipsius veritate nitens, firma
 semper & immota consistit: *Non enim, ut rectè
 Tertullianus ait, ex personis fides, sed ex factis
 persona probanda sunt.* Sed Hæreticis os lo-
 quendi

pietissimis cujusdam probati Auctoris, à Flo-
remundo Laudati, occludamus verbis, inquit
entis: (a) Jesum Christum noluisse, ut quod suum
esset, vel per Officiariorum seu ministrorum
bonitatem melius, vel eorundem pravitatem
deterius redderetur. Cur quæso? Ne, in-
quit, boni sibi persuaderent, quidquam ex
sua bonitate divinis operibus addi: aut mali,
ex sua malitia divinæ bonitati aliquid detrahi
posse: & ita utrique Deo potentiores, aut id
quod solius Dei est, sibi attribuendo, ipsi Dii
videantur. Sed hæc omnia susque deque ha-
bent Hæretici: qui non Cæremoniis modò
& Sacerdotalibus vestibus, verum etiam ipsis
sacris Personis, illudunt, per contumeliam eos
cum Rabinis Tonsos aut Rasos, quos S. Hie-
ronymus honorificò elogiò Coronatos vo-
cat, appellantes. Eosdem illi asininis, lupinis,
vulpinis capitibus, & quâ non tandem formâ
pictos, ad ludibrium proponunt, & ostentant.
Nullo denique injuriarum, calumniarum ac
convitiarum genere non proscindunt. Sed
mirum non est, ut cum S. Bernardo loqua-
mur, eos, qui Ecclesiam non agnoscunt, Eccle-
siæ ejusque Ordinibus obtrektare. Videmus
enim etiam rabiosos canes cælo oblatrare:
sed frustra: facilè enim à lupo, ne detrahatur,
Luna sibi cavebit. Hæc ille.

Nunc porrò vos appello, qui tantopere
Catholicorum peccatis scandalisamini. Num-
quid vos peccatores non estis? Nulline sunt in
vestris

a De He-
re. lib. 8.
cap. 12.

vestris cœtibus, qui humani quid patitur? Qui delinquant? Petimus ut totum de nobis hoc quærentibus expediat, quæcumque demum partem respondeat placeat. Si vos quoque peccatores esse temini, ut fateamini necesse est: Quis fit, quod tam sagaciter in vitam nostram inquiritis? Cur, cum ipsi quoque peccatores sitis, nobis condolere non potestis? Cur non potius vitam vestram emendatis, quam, utum instar, in alienis criminibus volutamini? Quod si verò de peccatorum numero vix eximere volueritis, & sacrae Litteræ, & publica totius mundi testimonia vos mendaces reos peragent: *Quis potest dicere*, ait Sapiens, *(a) mundum est cor meum, purus sum à peccatis*. Quo verò loco res vestrae sint quoad puritatem vitæ, tum quid in vestris conventibus ac cœtibus agatur, notius est, quam velitis. Nefariò quidem schismate vos à nobis separat, sed carnem & sanguinem unà vobiscum asportatis. Vocatis vos reformatos, habetis vultis humiles, mystici, spirituales, continent, (quemadmodum olim erat genus quoddam Hæreticorum, qui se Catharos, hoc est mundos appellabant) Verum, quid hæc nomina, hæc ostentatio ad rem faciunt, cum qui vos norunt, sciant titulos illos iniquè vobis usurpari. Quid igitur in causa est, quod tam immisericordes, & severi Judices estis cum nostras infirmitates intuemini, neque

a Prov.
10.

apud animos vestros expenditis inter vos quoque peccatores, imò insignes etiam nebulones reperiri? An igno-
 rantes, quod nec Ethnicos latuit: *Carere debere omni vitio, qui paratus est in alterum dicere.* Cum igitur vos sine peccato non sitis, imò multis criminibus sordidi sitis, cur tam confertim lapides in nos conjicitis? De vobis similibus rectè providè dixit Apostolus: (a) *Testimonium enim perhibeo illis, quod emulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam: ignorantes enim iustitiam Dei, & suam volentes statuere, iustitiam Dei non sunt subiecti.* Veri autem Catholici zelum habent sincerum, & ardentiorè eo, quem præ se ferunt Novatores, tamen secundum scientiam, quia cognoscentes iustitiam Dei, & suam nequaquam vanè quærentes statuere, iustitiæ Dei subjiçuntur, quæ non permittit minus malum per quoddam aliud majus tolli, si-
 ve, fieri mala, ut eveniant bona; non permittit, sub prætextu reformationis Ecclesiæ Ecclesiasticam scindere unitatem, ejusque sacrosancta Statuta convellere: quocirca optimè scripsit Divus Irenæus: (b) *Judicabit autem (Deus) & eos qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem: suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ, propter modicas & quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & dividunt, & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, verè li-*

a Rom. 1. 30.

b Lib. 4.
cap. 62.

quas

quantæ culicem, & camelum transglutientem.
 Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio
 quanta est schismatis perniciēs. Hoc est, quod
 supra de Wirelessitis dixit Waldensis: a) Sicut
 jumentum de minori luto transiliens se totum
 projicit in abyssum: ita Heretici dum faciunt
 conscientiam criminis, saltant in voraginem le-
 resis, quod omnium scelerum est perniciosissi-
 mum.

Notum ex sacris est Historiis, Sanctissimorum
 Prophetas (ne vobis sanctorum Reformationum
 defint exempla) Eliam, Isaiam, Jeremiam,
 Ezechiëlem cum in populo suo magnam
 turpitudinem, foedissimos abusus, &
 plurima, eaque gravissima, peccata grassari
 cernerent, non eam tamen ob causam, à veteri
 synagoga, ejusque sacrificiis, Sacerdotio, Ceri-
 moniis defectionem molitos esse: fuerunt qui
 eodem in peccatis, abusibus, communibusque
 vitiis reprehendendis acerrimi, verum ut
 vos separatim cœtus agerent, nova altaria
 erigerent, nova sacrificia, atque alia Religio-
 nis exercitia instituerent, numquam eis in mentem
 venit. Sic etiam hodie viri & boni & deu-
 zalantes pro Domino exercituum, videntes
 Ecclesiam in plurimis ejus membris, gravissi-
 mis laborare morbis, nihil pro curatione inten-
 tatum relinquunt, arguunt, increpant, ut mo-
 net Apostolus, obsecrât, (b) puniunt, ut ad me-
 liorem frugem revocentur: quod si omnibus
 adhibitis mediis nihil, aut parum proficiant

a Tom. 1.
 ab 2. 3.

b 2. Tim.
 4.

non tamen Ecclesiam laborantem deserunt ;
aut scindunt , sed patienter tolerant , ac dissi-
mulant , tamquam periti & experti medici , qui
cum vident morbum invaluisse , totasque occu-
passe medullas , nihil tentare audent , sed naturæ
curandum relinquunt , timentes ne medela vi-
res præbeat morbo , qui parum auctus infirmum
interimat : Deo interim , qui est verus anima-
rum medicus , infirmos fratres committunt :
atque ideo orant sine intermissione , ingemif-
cunt , deprecantur instanter fiduciam in ejus
verbo habentes , qui dixit : (a) *Siquid petieritis* a Ioan. 14:
Patrem in nomine meo , dabit vobis. Quid autem
verius in Christi nomine potest peti quam
quod pro Ecclesiæ reformatione petimus , quæ
acquirit sanguine suo ? Quod si vos , Nova-
tores , ad eundem quoque modum zelaretis ,
haberetis qui vestros conatus pro virili promo-
verent : Verum longè aliam viam ingredimini :
nimirum eo modo Ecclesiam Dei sanare in-
tenditis , veluti , si quis velanus medicus homi-
nem graviter vulneratum , cuius vulnera obli-
ganda , & malagmatis impositis curanda erant ,
gladio in viscera ejus adacto , vel præciso gut-
ture , penitus enecat : egregia , scilicet , curan-
di ratio . Aut , si furiosus agricola triticum
unà cum zizaniis evelleret ac disperde-
ret . Aliam animorum morbos curandi
methodum Sancti servaverunt ac docue-
runt Patres . *Corrigendus est* , frater , in-
quit Divus Gregorius Nazianzenus , (b) *fā-* bora
Q 2 *nas*

igitur hoc modeste ac humaniter, non
 medicus incidens: ac non solum agnosce, quem
 admodum ille iniri aut incidi debeat, sed et
 ipsum ac propriam cognosce infirmitatem: quoniam
 enim si oculorum teneris morbo, Sol tibi videtur
 obscurus: Quid autem si cuncta tibi circum
 verti videantur, quum tu nauseam patiaris,
 aut etiam sis ebrius? Ignorantiamque propriam
 aliorum esse censes. Proinde multum iustus
 et tolerare oportet priusquam alterius cognosca-
 tur impietas. Nequaquam simile est plantam
 aliquam excindere, aut florem etiam odoriferum,
 ac hominem. Imago Dei es, et imago
 nem Dei condemnas: iudicaberis et tu qui iudi-
 cas: alienam iudicas servum, et quem alius
 gubernat. Ita fratrem tuum probato, tan-
 quam et tu eadem mensura sis iudicandus: et
 ideo haudquaquam in abscindendo festina, ac
 confestim membrum alienes: incertum enim est,
 ne ideo quod sanctum est corrumpatur: verum
 admoone, hortare, increpa, medicamenta habes,
 regulas habes, Christi es discipulus humilis et
 mansueti, qui iniquitates nostras portavit. Quid
 si primum tibi resistit, longanimis esto; Si vero
 secundo, noli desperare, adhuc sanandi tempus
 est: ut si tertio, sis agricola humanus, Domi-
 num roga ne excindatur aut odio habeatur. Steri-
 lis illa et inutilis ficulnea, sed ad illam te con-
 verte et curam eius gere, eamque stercoreato
 per confessionem qua occulta prodit, et manife-
 stis pudorem injicit, ac turpiora rectius insti-

erit: quis scit utrum immutetur, ac fructum
 ferat? Hæc salutaris est animos curandi ra-
 tio, medicamenta sunt longanimitet adhiben-
 da, Dominus rogandus, non membrum æ-
 grum abscindendum, aut sterilis ficulnea mox
 extirpanda, Nemo, inquam, se aut alios, ab
 Ecclesia, ob quorundam pravam vitam, rectè
 separat. Quam rem maturè atque prudenter
 expendit Sanctissimus Martyr Cyprianus, ubi
 ad conversos quosdam ad fidem (qui propter
 communia vitia in hæresim prolapsi, postli-
 minio ad veritatis agnitionem, & Matris Ec-
 clesiæ sinum redierant) in hunc modum scri-
 bit. a) Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, a Lib. 3.
 non tamen impedi debet aut fides, aut charitas Epist. 3.
 nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cer-
 nimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tan-
 tummodo laborandum, ut frumentum esse pos-
 simus, ut cum ceperit frumentum dominicis hor-
 reis condi, fructum pro opere nostra & labore
 capiamus, Apostolus in Epistola sua dicit: (b) b 2. Tim.
 in domo autem magna non solum vasa sunt au- 2.
 rea & argentea, sed & ligneæ & fictilia, &
 quedam quidem honorata, quedam verò inho-
 norata. Nos operam demus, & quantum pos-
 sumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum
 simus. Ceterum fictilia vasa confringere Do-
 mino soli concessum est, cui & virga ferrea data
 est. Esse non potest major Domino servus: (c) c Ioan. 13.
 Nec quisquam sibi quod soli filio Pater tribuit,
 vendicare se putet, ut ad arcam ventilandam &

purgandam paleam iam ferre se posse, et
 frumento universa zizania humano iudicio
 gregare. Superba est ista obstinatio, & sacri-
 ga presumptio, quam sibi furor pravus assu-
 nit. Et dum dominium sibi semper quidam
 quam mitis iustitia deposcit, assumunt, de-
 clesia pereunt. Et dum se insolenter extollunt,
 ipso suo tumore excacati, veritatis lumen ca-
 runt. Iste fructus est arrogatæ cæcæ reform-
 tionis attentatio, turbatio Ecclesiæ, & veri-
 tatis fidei amissio: suntque ii, qui ob quorundam
 Catholicorum corruptos mores ab Ecclesiæ
 obedientia secedunt, similes insanis hominibus,
 qui, ut pluviam fugiant, in aquas se præ-
 cipitant ac submergunt.

Ex iis igitur, quæ hætenus dicta sunt, evi-
 dit manifestum, indiscretum reformandi
 lum in hæresim sæpenumerò abducere: ca-
 sas verò, quas Novatores ad excusandum ap-
 stasiam ac schismatis sui crimen adferunt, cum
 Ecclesiæ doctrinam falsitatis accusant, & cor-
 ruptos quorundam in Ecclesia mores ab-
 ciunt, nec iusti ponderis esse, nec ullatenus co-
 ram Deo, & in conscientia subsistere posse.
 Quæ verò in moribus reformandis servanda
 sit ratio, ex Sanctis Patribus docuimus:
 fructum laboris, Deo propitio,
 liceat ominari.